

Anno ab incarnatione domini nostri Iesu Christi M. C. xiii. (sic) xv. k. Apr. indict. v. celebrata est synodus in ecclesia Lateranensi, presidente domno papa Paschale secundo, cum episcopis Italię, Langobardię, Gallię, Venetię, Apulię, Calabrię, Sicilię . C . xxx . et abbatibus et clericis innumerabilibus, ubi damnatum, cassatum et reprobatum est privilegium, immo pravilegium illud, quod Heinricus quartus (A)lemannorum¹⁾ tyrannus a domno papa necessitate non modica ingruente extorsit. Hocque factum est auctoritate beati Innocentii pape, qui quod necessitate imminente male factum est, cessante necessitate mutandum precipit, et decretis felicis memorie Gregorii vii^{mi} atque Urbani Romanorum pontificum observatis.

CAPITVLVM DAMNATI PRIVILEGII IN HEC VERBA.

Privilegium illud, quod verius potest pravilegium dici, a domno papa pro liberatione ecclesię et captivorum extortum, iudicio sancti Spiritus, et canonica censura, et auctoritate ecclesiastica damnamus, cassamus, irritum iudicamus, et nequid auctoritatis vel efficientię habeat penitus excommunicamus. Nullus abbas, nullus archipresbiter, nullus prepositus ecclesię, audeat possessiones ecclesię suę vendere, commutare, locare, vel in fędum dare, sine communi fratrum consensu, et episcopi proprię civitatis, vel aliquod spiritale a laicali manu accipere, alioquin ordinis sui detrimentum patiatur.

In der Hs. 56 ist auf Bl. 250 eine Bulle Victors (IV.) eingetragen, aber leider nicht vollständig, sondern nur die Arenga :

Victor episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus (fratribus) archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis, abbatibus, prepositis et omni clero, ducibus, marchionibus, comitibus, egregie ac strennuissime milicie et universo populo in regno Teutonico constituto, salutem et apostolicam benedictionem. Necessaria rerum dispositione constringimur, et apostolicę sedis moderamine convenimur, ecclesię et imperii negotiis prospicere, et malorum pravitatibus taliter obviare, ut quę presentium necessitas temporum agenda deposcit, adhibita exacta diligentia, quantum potest fieri, favente Domino provehamus. Duo sunt principalia, quibus status hominum noscitur esse regendus, auctoritas Romani pontificis et potestas imperialis. Horum usque adeo consona videntur officia, et principatus mutua societate conjunctus, ut alter alterius onera sustineat, et in eodem simul habeant potestatem. Mediator enim Dei et hominum, Christus, utriusque potestatis officia et dignitates distinctis gradibus ita discrevit, ut et christiani imperatores . . .

1) Das Wort steht am Anfang einer Zeile und das A scheint nur aus Versehen fortgelassen zu sein.